

vel violentum fuisse motum vel secundum naturam. Si vero secundum naturam movebantur, necesse mundum fuisse.

In Timaeo autem a Platone haec scripta sunt verba:⁸ *Volens enim Deus bona quidem omnia, malum autem nullum esse, quatenus*
 5 *posset ita sane omne, quantum erat visibile, assumens non quietum, sed motum negligenter ac inordinate in ordinem id duxit ex inordinatione: putans illud hoc esse omnino melius.* In quibus quidem verbis nulla est elementorum mentio, falsa ergo reprehensio, cum in id intendatur, quod a Platone non est dictum, longe enim aliud est,
 10 totum, quod visibile erat ab elementis, poterat esse chaos illud confusum, poterat ignis, aqua, terra, confusa indistincta omnia, hoc primum falsum, secundum^v deinde, motum visibilis huius non est necesse fuisse vel violentum vel naturale. Nam non constituto adhuc mundo nulla erat natura, ideoque nihil secundum
 15 naturam fiebat, quare nec oppositum illi violentum.

Ruunt ergo et haec et quae ex hac divisione sequuntur, tamen illud quoque:⁹ *Adhuc vero interrogaret aliquis.* Utrum possibile vel impossibile esset, cum inordinate moverentur, misceri ad invicem, ita ut inde enascerentur: qualia secundum naturam
 20 enata videmus, vana enim est et interrogatio et cavillatio haec, nihil enim tale Plato constituit ex eo motu aut post eum motum, sed omnia ab opifice essent genita et distincta.

Neque locum habet, quod subnectit, inordinatum illud nihil aliud esse, quam praeter naturam. Nulla namque, ut diximus,
 25 adhuc natura erat, ideo praeter naturam nihil fiebat: contraria enim simul sunt uno existente et alterum existit, altero non exi-

⁸ βουλευθεις γὰρ ὁ θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, φλαῦρον δὲ μηδὲν εἶναι κατὰ δύναμιν, οὕτω δὴ πᾶν ὅσον ἦν ὄρατὸν παραλαβὼν οὐχ ἡσυχίαν ἄγον ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας, ἡγησάμενος ἐκεῖνο τούτου πάντως ἄμεινον. [PLATO, Ti. 30.a.2 – 6]

⁹ ἔτι δὲ τοσοῦτον ἐπανέροιτ' ἂν τις. [ARIST. Cael. 300b.25 – 26]

^v Corr. ex secundam